



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quid illi debeant subditi, scilicet honorem, obedientiam, prouisionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

domui suæ benè præesse : nam qui propriam domum non benè regit, quomodo domum Dei, id est, Ecclesiam gubernabit? Igitur si habet filios morigeros & familiam honestam, lignum est, quod & benè gubernabit Ecclesiam. His igitur iam dictis conditionibus Episcopus debet esse probatus, antequam eligatur : non sit neophytus in fide, aut propter aliam aliquam causam, sicuti hodie eliguntur propter munera, stemma, diuitias, fauorem, &c. Evangelicus ergo & Apostolicus Episcopus eligendus est, qui talibus dotibus sit ornatus. Habet & patres suos canones de vita & statu Episcoporum, Sacerdotum & Clericorum, qui si seruentur, haud dubie aliam faciem haberet Ecclesia.

Tertio, tria debent subditi Episcopo vel Sacerdoti: primò reuerentiam. Nam Episcopus non est minister vel seruus imperatoris vel regis, sed Dei & Iesu Christi. Graue est igitur peccatum, contemnere, deridere, detrahere, in ius vocare, aut tangere sacerdotem vel Episcopum. Ideo Apostolus 1. Tim. 5. inquit: Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Contemptus enim & odium Sacerdotum, ianua est omnium hereseon, inquit Cyprianus. Secundò, subditi debent illis obedientiam Luc. 10. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. debemus enim illis obedire etiam dyscolis, in omnibus quæ non sunt contra Deum & verbum eius Heb. 12. Obedire prepositis vestris, ipsi enim rationem reddituri sunt &cæt. Tertio, debent illis prouisionem corporalem, 1. Timoth. 5. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant doctrina & verbo, id est, illis ex mandato Euangelij debetur non solum reuerentia, sed etiam prouisio. De ijs qui laborant verbo, dicitur Deuterono. 25. Non alligabis os boui trituranti. & 1. Corinthiorum 9. Qui altario inseruit, de altario uiuet. Et Christus inquit Matth. decimo.

Dignus est mercenarius mercede. non dicit, Dignus est desidiosus sacerdos censibus vel mercede, &c. Dicitur Actor, 20. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos &c. Videant ergo Episcopi, quomodo desiderent Episcopatum, & quomodo ei præsent &c.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quis sit verus hereticus dicendus.*
2. *Quare Deus permittit hæreses fieri per delictes sermones.*
3. *Quomodo sit vitandus hereticus.*



1.

Hereticus est, qui temporalis commo-
di gratia, aut fauoris hominum vel vo-
luptatis siue inuidia, falsas fingit de scri-
ptura glossas, easque defendit pertina-
citer, & facit sibi adherentiam in popu-
lo: hæ causæ potissimum faciunt hæreticum. Sic Ari-
us inuidia contra clerum effinxit nouam interpre-
tationem, & à catholico intellectu alienam, super il-
lud Ioan. 14. Pater maior me est. Sic Zuinglius in-
terpretatur verba Christi, Hoc est corpus meum, id
est, figura corporis mei. Sic Anabaptista ille Balta-
zar Hiebmeier affinxit nouam glossam verbis Chri-
sti, vbi dicit Marci ultimo: Qui crediderit, scilicet pri-
mo, & baptizatus fuerit. Sic Vualdo dixit super illa
verba 1. Petr. secundo. Vos omnes (scilicet baptizati)
estis regale sacerdotium, id est, omnes Christiani sunt
sacerdotes. idem fit apud alios Hæreticos, qui pro-
pria scientia inflati, segregant se à communi Eccle-
sia: Quare Apostolus eos vocat sectas Galat. quinto,
& sic temper peculiarem sectantur opinionem de scri-
pturæ intellectu, quem temerè defendunt: idcò hæ-
retis